

A quod nec ex se, nec ab aliis possunt addiscere. unde Arist. in secundo de Anima. tex. com. 64. duri carne inepti mēte, molles autem carne bene apti mente. Secunda causa est propter modicam exercitationem, & hoc uel in logica, sicut contingit antiquis, de quibus loquitur Arist. primo Phy. tex. com. 71. & Commen. in com. inquit. antiquis contingit ista. q. & non potuerunt eam diffolueri, propter paucitatem exercitationis in Dialectica, & Boe. super Porphyrio, de eisdem loquens. inquit. quare necesse erat eos falli, qui abieci differendi scientia, & rerum ueritate perquirerent. ubi animaduerte, q. circa principia scientiarum, per syllogismum falsigraphum, qui peccat contra formam syllogismi, possunt errores multi contingere, ex logicæ ignorantia. similiter potest contingere hoc ex modica exercitatione in aliqua scientia speciali, quod homo non recipit principia illius scientiæ, & per consequens multum errat in illa scientia, quia parus error in principiis, fit maximus in fine, ut dicit Arist. in primo Cœli, & mundi in tex. com. 33. ubi etiam dicitur. siquidem qui modicum transgressus fuerit a ueritate descendens, fit longe plus decies miles, & Commen. dat exemplum de iter agente, qui errat in principio itineris, & ideo quanto magis pergit tanto magis in errore perseverat, & ideo iubet Plato, quod prolixius sermo haberetur de principiis, ut inquit Comen. terio de Anima com. 4. unde Auer. 3. Cœli com. 76. contra Auten. inquit. paucitas exercitationis infus uiri in Philosophia. & bona confidentia in proprio ingenio, deduxerunt ipsum ad manifestos errores. ita ex parua exercitatio ne, in naturalibus damnat Plat. ab Arist. in primo de Generatione. sicut supra dictum est. nam Plat. multum terfabatur in scientiis Mathematicis, & ex causis intelligibilium uolebat assignare causas sensibilem. unde terio Cœli. tex. com. 61. amor Geometriæ, & magistri, fuerunt causæ erroris Platonis. Tertia causa propter quam non recipiuntur principia huiusmodi, est consuetudo, de qua uide Arist. in. 2. Meta. tex. com. 14. & Auer. per unq. de hoc loquitur. Sed dices cum scientiarum principia non demonstrantur in scientia, quomodo igitur ex ignorantia logicæ potest aliquis non obediere principiis alius scientiæ? Nisi esset, quod hoc est ex malo intellectu principiorum, intellectus enim sic per accidens, potest errare circa principia, quia non intelligit illa eo modo quo debent intelligi, & talis error est post principia, & artifex specialis potest soluere rationem illam quæ procedit ex malo intellectu principiorum, factam per syllogismum falsigraphum, ostendendo quomodo sint intelligenda, licet non possit soluere rationem, quæ aperte procedit ex oppositis principiorum in illa scientia, sicut colligitur expresse ab Arist. in primo Physicæ auscultationis in tex. com. 1. ubi inquit, simul aut neque conuenit omnia soluere, sed quæcunque ex principiis aliquis demonstrans mentitur. quæcunque uero, non minime, & ideo propter malum intellectum principiorum in aliqua scientia, ex ignorantia logicæ, potest aliquis non assentire principiis illius scientiæ, & errare multum in illa scientia. unde aliqui in Philosophia naturali negauerunt generationem, non intelligentes qualiter ex non ente aliquid fieri potest, ut dicit Arist. propter æquiuocationem latitantem inter non ens simpliciter, & non ens secundum quid, & propter etiam multipliciter in se fieri ex non ente, uel ente, aliquid per se, aut per accidens, ut patet primo Physicæ. tex. com. 71. usq. ad tex. com. 78. Aduertat etiam unum speciale, de principiis scientiæ naturalis, quod ut inquit Commen. primo Cœli, com. 90. propositiones naturales duplici de causa dubitabiles sunt, uel quia aliqui enutriti in opinionibus falsis non possunt assentire principiis ueris Philosophiæ: uel quia aliqui exiis stimant q. principia eius debent esse tantæ certitudinis, sicut principia Geometriæ, contra quos Arist. in. 2. Primæ philosophiæ. tex. com. 16. inquit acrobologia Mathematica, non in omnibus est expectanda. nam ut scribit Philosophus in primo Ethic. cap. 2. eius, qui eruditur interest in uno

quoq. genere, eatenus certitudinem exigere quatenus eius natura rei recipit simile. quippe uideatur à Mathematico persuasionem recipere, & ab Oratore demonstrationem requirere, ita etiam inquit Boe. in primo de Trini. Disciplina ti hominis est in unoquoque genere certitudinem querere, secundum quod natura subiecta postulat. Dicamus igitur, principia illa esse tanquam locum inuac. in domo, quem nullus ignorat, quæ sunt principia cognitionis communissimæ, quæ solum ex notitia terminorum communissimorum, euidentiam habent, ut de quolibet dicitur esse, uel non esse, & sicut sunt principia, quæ ex ipso sensus testimonio, habent euidentiam, sicut motum esse, & multitudinem entium esse in Naturali philosophia, sunt enim ista in illa scientia principia cognitionis, ut patet ab Auer. primo Physicæ. com. 1. fallit autem in aliis principiis scientiarum specialium, quæ indigent aliqua inuentione, & superficiali declaratione, quemadmodum est definitio naturæ, quæ est de principiis positus in Naturali philosophia, quæ licet non demonstrari possit, quia non est de numero propositionum, quæ sunt ignote naturaliter, nec de numero illorum principiorum, quæ ex sola notitia terminorum euidentiam habent: sed est de numero eorum, quæ indigent aliqua inuentione seu suadela, & ita declaratur per syllogismum hypotheticum, per naturam in quo, ut inquit Auer. in libro primo Priorum in speciali digressionem, quam facit de syllogismo hypothetico, antecedens est per se notum, & consequens est notum, & tota illatio est nota, & sua natura est, ut assumatur in declaratione illarum propositionum, quæ sunt latentiores primis cognitionibus, & apertiores primis questionibus, modo loquendi Auer. in primo Cœli & mundi. in com. 2. & in. 2. Physicæ. com. 3. & 6. Physicæ. com. 4. & ita etiam dicit in libro Priorum in loco præallegato. Similiter etiam ex nihilo nihil fieri, est de numero istorum principiorum, quæ indigent aliqua inuentione, quam diffuse sequutus est Lucretius in primo libro, sicut etiam est contingentiam esse, quæ ab Arist. persuadetur aliquibus rationibus hypotheticis, ducentibus ad inconueniens, quia nisi daretur contingentia in entibus, periret, sicut asserit, consilium, & non oporteret consilium de futuris, nec negotiari, & multa in simili deducit, tales autem persuasiones non simpliciter deducunt ad aliquid, quod ex natura rei sit magis impossibile, quàm fuerit hypothesis data per aduersarij, sed solum deducunt ad aliquid impossibile, quod est manifestius quo ad nos, uel quo ad hominem, contra quæ adducuntur, & ideo non probant simpliciter, sed faciunt aliquam fidem, uel inuentionem, non enim omnium est demonstratio: ut dicit Arist. primo Posterio. & Meta. tex. com. 9. inuadit est non cognoscere, quorū oportet quæ rerum demonstrationem, & quorum non oportet, & tale genus hominum: ut inquit Auer. in. 2. Physicæ. com. 6. nunquam potuit philosophari, nec poterit, non enim quilibet est aptus ad philosophandum, & ut est in proverbio. non cuiuslibet nauigare Corinthum. * Sed tunc est difficultas, quia scribit Commen. in 3. de Anima. com. 36. q. necimus quando, & unde, & quomodo adueniat nobis cognitio primorum principiorum, male igitur dicitur q. sunt sicut locus inuac. quem nullus ignorat. Nisi esset, q. hoc intelligitur in prima cognitione naturali, nam ut scribit Arist. in Calce. 2. Post. in tex. 27. non acquiritur cognitio uniuersalis in nobis, q. est principium artis, & scientiæ, nisi per inductionem, cuius assumptiones affirmat sensus, & ut inquit in cidsimus Them. intercedit magnum temporis intervalolum, ut id quod in singularibus diffusum, atq. dispersum est, intellectus, cuius officium est, ut inquit Plato, in infinita fini coniungere, ad unum colligere potest, & ideo non aduertimus quando talis natura principiorum fiat in nobis. & exemplum pulchrum Them. de intellectu ubi, q. est sicut est de homine, qui in infantia non potest gradi, & paulatim perficitur, & tu uide ibi, & considera de exemplo sicut nostri, quia uidetur esse etiam sententia Arist. in problematibus. }

Summa teo-
rius limita-
tionis.

In prio
ritermenio

F

* ADDL

Obiectio:
Solutio.